

incitat, illisque cogitata ingenii sui, uel doctrinam sibi peculiarem persuadere studet, aut res futuras falso commentus est. Sed homo, qui uel ueri uel falsi Numinis dictata simulat, et hac ex ratione homines ad cultum Numinis profani incitat, uel de rebus futuris, tamquam sibi reuelatis, uaticinatur. Sed fides quae unicuique uati habenda erat, e sententia Iudaeorum, ex euentu rei annunciatae pendeat, si omnia non determinato tempore et statuto loco eueniebant, pro FALSO habebatur PROPHETA. Si contra ea famem, pestem, bellum, harumque calamitatum alia genera nomine Dei annunciabat, licet non euenirent, hic VATES nihilominus ne utiquequam FALSUS erat dicendus, et hoc assertum ea de causa ueritati consentaneum esse dicebant, quia Deus propter misericordiam suam tardus sit ad uindictam, si illi, quibus malum praedictum esset, ad bonam mentem redeant. Et exinde hae MAGISTRORVM regulae de PROPHETA VERO et FALSO iudicando ortae sunt: *ubi bona praedicta non eueniunt, כידוע שהוא השקר* inde cognoscitur quod hic sit uates mendax, quoniam iure quodam suo *omne illud, טובה שיגזור האל אפילו על תנאי אינו חוזר* quod Deus de bono euenturo decreuit, aliter se habere nequit, ex malis uero, et calamitatibus praedictis *אין בזה הכחשה לנבואתו ואין אומרים הנה דבר* eiusmodi uaticinium mendacii damnandum non est, nec loqui debent, ecce praedictum est, sed non euenit. Sed *ברביי הטובה בלבר יבחן* e praedictione boni solummodo iudicatur propheta. Porro inquirunt: *נביא שהעיד לו נביא אחר שהיא נביא הרי הוא בחזקת נביא* propheta qui testem sibi habet alterum uatem, ille uerax esse uates creditur. His DOCTORVM regulis addere mihi liceat leges diuinas ipsas, in sacris paginis hunc in modum expressas: m) *Si uates quidam sibi superbe*

m) Deut. XVIII, 20. 21. 22.